



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Elogia Patriarcharum, Et Christi Jesu Dei Hominis.  
Emanvelis Thesavri Patritii Taurinens. Et Aloysii Jvglaris è  
Societate Jesu**

**Giuglaris, Luigi**

**Francofvrti, 1684**

4 Cainam Enossi Filius. 5 Malaleel Cainami Filius. Opposita.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38349**

Et scribendo Tetragrammato,  
 Suas certatim pennas pararunt Cychni.  
 Ipsas adeo Tartari latebras.  
 Magni nominis Echo personuit:  
 Atque ingens veluti globus  
 De fulminali machina elisus,  
 Trepidas Eunemides, consternatasque confecit.  
 Quæris quid authoramenti retulerit Enos?  
 Idem accepit quod dedit.  
 Homonomos enim cum suo Numine.  
 Deum appellavit, Deus est appellatus:  
 Aras posuit, Impositus est Aris.

**C A I N A M**  
**E N O S S I F I L I U S .**  
**M A L A L E E L**  
**C A I N A M I F I L I U S .**  
**O P P O S I T A .**

Cainamus & Malaleel,  
 Ignoræ Virtutis, non ignoti Virtuti;  
 Parem pietatem in nomine dispari præ se ferunt.  
 Nam Cainam lamentabilem gemitum,  
 Malaleel lætum Numinis laudatorem, sonat.  
 Optimo nimirum pessimoque Sæculo,  
 Certabant paria virtutibus vitia.  
 Hinc Religiosa Sethi posteritas,  
 Illinc nefanda Caini genimina.  
 Procacitatem modestiæ,  
 Sacrificiis sacrilegia cœquabant.  
 Itaq; Hominem inter Homines nullum invenisses;  
 Sed vel Angelos, vel Belluas;  
 Aut Arâ dignos aut Harâ.  
 Adeo mortale Genus,  
 Vel extremos Numinis amores,  
 Vel extrema odia promeritum.  
 Voluptati & mœrori  
 Parem materiam dividebat.  
 Divisit proinde officium pietas,

Gemi-

Geminosque Mystas initiavit,  
 Quorum alter luctu, alter cantu litaret.  
 Sile jam Græcia miratix  
 Democriti, & Heracliti disparem Genium,  
 Possum melius par, divino de authographo promerere,  
 Nam Caibam lugendo, Malaleel canendo,  
 Novem sæcula confecere:  
 Et antiquam animam  
 Alter effluit, alter efflavit.  
 Diutius tamen vixit Cainamus,  
 Nam Mortalium lætitiæ superstes est dolor,  
 Denique à Cainamo Melaleel est satus:  
 Vera quippe voluptas, lacrymarum est proles.

## J A R E D

MALALEELIS FILIUS:  
EXPOSTULATIO.

Est quo tecum expostulem, Fama;  
 Quæ tot prædita linguis, quot plumis;  
 Circa Jaredi laudes implumis es, & elinguis.  
 Nam præter annos ac prolem, nihil admodum pangis.  
 Non annis vivunt Mortales, sed factis.  
 Tu Jaredi annos prodis, facta perdis.  
 Quid hoc est aliud quam occidere mortuum? Fallor.  
 Authoritatem ex silentio quæris.  
 Ad laudum metam de compendio pervenisti,  
 Dum Jaredum Enoci Genitorem vocas.  
 Non poterat intempesto sæculo tam bonus educi,  
 Nisi ex optimo Patre.  
 Quam magnum hoc fuerit, docuit morâ:  
 Atavus enim esse poterat, cum Pater esse cæpisset.  
 Ut non mirens tam senili ingenio Puerum:  
 Nemo serius Prolem habuit,  
 Nemo enim diuturnius erat habiturus,  
 Festiva non sunt, quæ festina.  
 Decennio parturit Elephas, sed Elephantum.  
 Celeres partus velut sibi præreptos citò revocant Fata.  
 Tan-